



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. I. Quid sit Adoratio in genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

406. Quapropter ipse Card. de Lugo, secutus Basilium Pontium, docet, Christum quā hominem esse Filium Naturalem Dei, non quidem in sensu quo reduplicatio cadit supra humanitatem, sed quatenus cadit supra suppositum, quia ut Homo non solum dicit Naturam, sed etiam hypostasim, quā cum in Christo sit Filiatio aeterna, iam Christus ut Homo includit Filiationem naturalem; & sic ut homo est Filius Naturalis.

407. Ceterum negat Lugo, Christum quā hominem esse Filium totius Trinitatis, prout dixerat Adrianus Papa, pro quo affert magnam antiquorum auctoritatem. Infert deinde ulterius, quod si Persona Patris vel Spiritus Sancti assumeret humanitatem, quod inquam, ille homo non esset filius naturalis Dei, quia non haberet Filiationem Verbi, quā sola potest verificare denominationem Filij Naturalis Dei. Nihilominus de tali Persona concedit Lugo, quod esset haeres, quia latius patet, esse Haerem, quā esse Filium Naturalem.

408. Mihi tamen per hanc ultima videtur aperiri via conciliandi Lugonem cum Suarezio.

Si enim illa Persona constans Paternitate, esset haeres Dei (sicut revera esset) non esset Haeres extraneus, quia, ut concedit ipse Lugo, non esset Persona extranea. Ulterius, si est haeres, & non extraneus, hoc ipso est Filius: omnis enim haeres non Filius, est haeres extraneus. Atqui non esset filius adoptivus, ut patet ex supra dictis. Ergo à primo ad ultimum esset Filius Naturalis Dei.

Censeo itaque, dicendum esse, quod tō *Filius Naturalis* dupliciter sumi possit. Primo strictissime, intelligendo nimirum illum solum, qui est genitus in similitudinem Naturae: & hoc sensu Christus quā homo, non est Filius Naturalis totius Trinitatis; & hoc concedendum est Lugoni, neque id negaret Suarez. Secundo modo, minus strictè, sed tamen etiam in sensu Theologico proprio, potest dici filius naturalis ille, qui est haeres non per Gratiā & favorem accidentalem, sed per substantiam suam, & sic erit vera sententia Suarezij, & salvabitur auctoritas Adriani: sed hoc genus filiationis non potest reperiri in humanis.

CAPUT XII.

DE ADORATIONE CHRISTI ET CULTU IMAGINUM.

CONTROVERSIA I.

Quid sit Adoratio in genere.

409. **D**efinitur communiter ex S. Damasceno: animi cedentis, submissi, atque humilis significatio. Vnde infertur primò, adorationem non exhiberi nisi Superiori, quidquid sit, an honor & cultus possit aequali, vel etiam inferiori exhiberi, de quo dicam in tr. 1. de Just.

Infertur 2. Adorationem non tantum Deo & Sanctis exhiberi posse, sed etiam Personis profanis, ut Imperatori, Regibus, Principibus, quod ex historiis S. Scripturae frequenter apparet. Verum omiſſa pro nunc adoratione civili & politica, sermo deinceps erit de Adoratione Sacra.

410. Dividitur in Latriam, Duliā, & Hyperduliā. Latria, prout nunc à tota Ecclesia sumitur (nam antehac servitute in genere significabat) significat specialem adorationem, soli Deo convenientem ratione supremæ & infinitæ Excellentiae. Dulia veò significat cultum seu adorationem quæ exhibetur Sanctis Dei amicis quā talibus. Quia autem inter hos eminet Beatissi-

ma Virgo Titulo Maternitatis, ideo illi specialis cultus respondet, & est Hyperdulia.

411. Queritur 1. An hæ tres species conveniant univocè vel æquivocè. R. Ex communi contra Vasquez, convenire univocè, hoc est, non merè æquivocè, (quidquid sit, an & quomodo Univocatio & Analogia opponantur) Ratio est; quia illæ tres species adorationis seu cultus non conveniunt solo nomine, sed Re, & in aliqua ratione communi abstracta: nimirum; esse Testimonium animi submissi, respectu Excellentiae alterius, præscindendo, quanta sit illa respectiva submissio, & ille excessus Excellentiae.

412. Queritur 2. An illud signum, quo quis testatur Excellentiam illius quem adorat, debeat necessariò esse signum externum & corporeum ac sensibile, vel an possit etiam consistere in actu quodam spiritali & interno. P. Vasquez acerrimè contendit, Adorationem significare tale signum externum: unde infert, Angelos non posse propriè Deum Adorare. Tota lis hæc est

X x x 2

de

de nomine Adorationis : certum enim est, quòd ad solum cultum externum significandum imponi poterit hæc vox *Adoratio*. Certum etiam est, potuisse imponi ad significandum aliquem cultum internum, illum nempe quem Vasquez putat esse solum improprium Adorationem. Quartio ergo superest, quam significationem defacto sortita sit.

Dicendum est cum communissima sententia, à qua non est in modo loquendi recedendum, posse Adorationem propriè dictà consistere in actu interno, seu in signo spiritali. Probat. Sicut signa externa v.g. Genuflexio, lateris sinistri occupatio, depositio pilei, ex hominum institutione sunt quedam protellations Submissiois, ita postfer Respublica Angelica constituere tale signum spirituale, v.g. vt Inferior accedens ad alterum taliter se collocaret, talem actum gaudij vel gratulationis eliceret. Imò ipsa voluntas manifestativa internæ submissiois, poterit dici adoratio, quia est signum non quidem ad placitum, sed Naturale, liberè tamen productum, internæ submissiois.

413. Queritur 3. An signum adorationis debeat esse tale, quod non tantum significet animi demissionem illi quem adoramus, sed etiam alijs, adeoque sit publica approbatione impositum ad talem animum significandum, sicut sacrificium debet esse signum publicè auctoritate institutum, ad significandum dominium vitæ & mortis. Afirmat Card. de Lugo. Negat Arriaga & VVadignus.

Censeo, esse faciendum discrimen inter Personas quas adoramus, hoc est, inter Deum & creaturas. Discrimen autem fundatur in hoc, quòd Deus intuetur cor & animum nostrum, etiam nobis invitis, adeoque respectu Dei, & in ordine ad illi soli manifestandam animi demissionem, existimo ineptè adhiberi signum aliquod significativum nostræ internæ demissionis : sicut, si inter homines nullum esset possibile secretum cordis, & unusquisque posset animum alterius etiam ipso invito intueri, utique ineptum esset velle instituire voces ad significandum animum.

Itaque quando Deum adoramus signis externis, censeo cum Lugone, talem adorationem, vt sit propriè dicta adoratio, debere fieri per signum aptum ad significandum alijs videntibus animi demissionem. Neque refert, quòd defacto sæpè illis vtamur, quando nemo nos videt : quia tunc volumus, quantum in nobis est, omnibus alijs talem animum testari : sicut etiam vocaliter Deo loquimur etiam nemine alio audiente : ad quam tamen orationem necesse est nos vti vocibus publicè impositione habentibus vim significandi : nec satis esset, si vellem ipsè mihi voces fingere ad hoc ipsum significandum, quod significant voces Breviarij aut Missalis : tunc enim non diceret vocaliter orare id quod oramus in Breviario. hoc enim si liceret, posset quis sibi fingere voces, quarum vna significaret ferè totum quod

significat Oratio Dominica, sicut Chineses hoc vocabulo expriment, quod nos longè perinde vt absolvimus, & sic posset quis vti brevissimis Canonis. hoc inquam est contra sententiam communem.

Vnde non malè dixit Lugo, quòd adorationem transtrahit Arriaga, ridiculum esse dicere, quòd libitum nostrum possumus quodcumque signum assumere ad adorandum Deum, v.g. crepusculum, vel risum, vel excreationem, vel saltum : nam ineptè dicerem : *Domine, vbi tuum missum tibi esse signum meæ submissiois*. Adoratio enim serviret tale signum, si etiam absque respectu Deo est animus noster : Hinc noli DD. putarunt respectu Dei & Angelorum adorationem posse consummari interius per solum voluntatem se in omnibus submittendi, absque signo : & hanc voluntatem fatetur Lugo n. 13 posse vocari Adorationem.

414. Quoad alios verò, quibus animus noster non est apertus sicut Deo, sed occultus potest, censeo posse fieri adorationem signo significante nisi illi qui adoratur, adeoque non esse necesse, vt sit publicè auctoritate institutum, sed posse institui privatè duorum conventuum. Ratio est, quia vt fatetur Lugo n. 19. Adoratio potest fieri solo sermone, absque alio ceremonio atqui possunt duo inter se convenire tam in scriptura quàm in sermone, vt hoc vel illud non referatur ab alterutro erga alterum, nisi ad id significandi hoc vel illud pro quo significando adhibetur : sic videmus Principes habentes certos characteres non nisi vni vel alteri nobiscum scribunt : ergo etiam ad significandum animi demissionem hoc fieri posset.

415. Queritur 4. In quonam differt Adoratio ab Humiliatione. R. Differre in hoc, quòd Adorationis virtus, sit virtus ad elevandum, Humilitatis Virtus non item ; & ideo Humilitas reducit ad Temperantiam, Adoratio ad sollicitudinem, tanquam pars prelativa illius. Insuper Humilitas præcise attendit honestatem de non tribuendo sibi plus quàm sibi conveniat, & consequenter in non extollendo se supra alios. vt verò Adoratio attendit honestatem in tribuendo alijs quod ipsis convenit, agnoscendo illorum supra se excellentiam & eminentiam, & volendo se respectu illorum collocare inferius. Vnde plus est adorare, quàm præcise se humiliare, obcer adoratio humilitatem aliquo modo vel presupponat, vel etiam includat, saltem respectu ad illum quem adoramus.

CONTROVERSIA II

Vtrum Christus vt Homo Adorari possit cultu Latrice.

416. DE fide est, hunc hominem, seu hanc personam, quæ est Christus, adorari cultu Latrice. Jo. 5. *Et omnes honorificent Filium, qui honorificant*